



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro  
Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XL. De Sepultura Acatholici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

& sequentibus. Farinacium loc. cit. c. 2. n. 49 Palaum de immunit. Ecclesiastica disp. unica. pu. 11. n. 12. Confirm. 2. Juxta communiter receptam regulam. Spoliatus ante omnia est restituendus : ergo cum Ecclesia sit spoliata jure de-

tinendi confugam, ante omnia per hujus dimissionem erit Ecclesia restituenda : ergo non poterit intermissa hac restituzione ob alias commissa furtar puniri saltem corporaliter.



## Casus XL.

### *De Sepultura Acatholici.*

**B**onifacius Legionis cuiusdam Cæsareæ in præsidio degentis Sacellanus, cum ad efferendum cuiusdam militis funus vocaretur, superpelliceo, & stolâ indutus comparet ; quia autem postea intellexerat, defunctum acatholicum esse, depositis superpelliceo, & stolâ, indutus pallio funus ad cœmeterium Catholicorum, ubi mortuus depositus fuerat, comitatur, omissis precibus, cæterisque solemnitatibus, quæ in funere Catholicorum adhibentur, occasione hujus.

Quær. 1. Utrum Bonifacius aliquam censuram incurrerit?

Quær. 2. Utrum non saltem peccaverit graviter?

Quær. 3. Utrum cœmeterium hac ratione profanatum fuerit?

### Synopsis.

#### §. I.

### Resolvitur primum quæstum.

*Utrum Bonifacius censuram aliquam incurrerit?*

1. Juxta Canones hæreticus ipso jure excommunicatus est censura latæ sententiæ.

2. Alii

2. Alii excommunicati sunt vitandi, alii non.
3. Allatos Juris Canonici textus, & Bullam Cœnæ nequaquam statuere hæreticos vitandos esse.
4. Cùm talibus hæreticis, & alijs, qui non sunt manifesti Clericorum percussores, nec specialiter excommunicati, cæteri fideles licitè communicant in rebus politicis.
5. Juxta aliquos idipsum tenendum circa communicacionem in Divinis, ad quam fideles hæreticum, aut alium specialiter non excommunicatum non inducunt.
6. Sacellanus ex hoc suo comitatu nequaquam ullam censuram incurrit.
7. Clementina prima de sepultura non est extendenda ad mandantes sepulturam hæreticis.
8. Neque incurrit excommunicationem, qui cum hæreticis videtur communicasse.
9. Cùm hic Comitatus fuerit communicatio merè politica,

§. II.

**Resolvitur secundum  
Quæsitus.**

*Utrum Sacellanus fatem non graviter peccaverit?*

10. Non peccavit graviter ob dispositionem cap. excommunicatos causa 11. q. 3.
11. Cùm juxta Palaum extra causus ab illo adductos solum venialiter peccet communicans cum excommunicato.
12. Hæc communicatio fuit solum in civilibus, & cum excommunicato tolerato.
13. Officiales bellici comitantes funus acatholici Ducis non peccant graviter.
14. Juxta quosdam Authores non est mortalis excommunicatione talis etiam in rebus humanis Ecclesiasticis in collatione Beneficii &c.
15. Excusat insuper consuetudo apud Legiones militares introducta.
16. Utì etiam utilitas in facelanum ex hoc redundans.

§. III.

## §. III.

## Resolvitur tertium

Quæsitum.

*Utrum cæmterium hac ratione profanatum fuerit?*

17. Præter Judæos, atque Paganos etiam hæretici à Sepultura Ecclesiastica excluduntur.

18. Excommunicati non vivandi sepeliri possunt, si ante mortem pœnitentiæ signa ediderint.

19. Excommunicatus, & impœnitens licet toleratus per se non potest in loco sacro sepeliri.

20. Sepelientes in loco sacro hæreticum notorium agunt illicitè, quin tamen excommunicationem incurvant.

21. Reconciliandus erit locus facer, in quo specialiter denunciatus sepultus fuerat.

22. E loco sacro non erit effodiendus acatholicus, aut aliis toleratus, & non denunciatus excommunicatus. Hinc non opus erit reconciliatione,

23. Nec effodiendus sepultus iste erit, quod impœnitens videatur mortuus.

## §. I.

## Resolvitur primum

Quæsitum.

*Utrum Bonifacius aliquam censuram incurrerit?*

**P**Ro Resolutione casus supponendum erit Primò. in cap. cum Christus in princ. cap. ad abolendam. cap. excommunicamus. 1. & 2. de hæresicis. cap. noverit. de sententia excommunicationis. hæreticum ipso jure excommunicari, ita ut hæc censura sit latæ sententiae.

Suppon. 2. Alios excommunicatos sive propter hæresin, sive propter aliud crimen esse vitandos, alios non esse vitandos, in quantum cum illis fideles communicare possent.

Not. 3. Allatos superius textus Juris Canonici, uti & Bullam Cœnæ nequaquam statuere hæreticos vitandos juxta Azor. l. 8. c. 13. q. 7. Bonac. disp. 2. de censorib. q. 5. p. 2. n. 9. Sanchez l. 2.

Mmm

c. 9.

c. 9. n. 3. Suarez disp. 21. de fide. sect. 3. n. 3. & alii cum Palao disp. 4. de heresi &c. pu. 1. n. 2. Item de censuris disp. 2. p. 4. §. 6. citante plures alios in hanc rem Authores. Prob. ex extravaganti ad evitanda scandala, qua Martinus V. confirmat Concilium Constantiense anno 1414. celebratum, hæc extravagans omnibus fidelibus concedit favorem communicandi cum excommunicatis, qui specialiter, & expresse denunciati non fuerint, neque manifesti Clerici percussores extiterint.

4 Not. 4. Cum talibus hæreticis, & excommunicatis aliis, qui non sunt manifesti percussores Clericorum, si non sint specialiter excommunicati, licitum esse cæteris fidelibus communicare in rebus politicis, prout docetur in candelabro aureo de excommunicatione n. 78. & 79. Coninck disp. 14. dub. 3. Hurtad. & aliis. Ratio est, quod in prælaudata extravaganti hæc facultas ad tollendos fidelium scrupulos permittatur; Atqui hoc non obtineretur, si in sola necessitate permitterentur talia: ergo &c. cum stante ista etiam

cum denunciatis specialiter hæreticis communicare fideles possunt, & semper potuerunt.

Not. 5. Ab Ægidio Coninck disp. 14. dub. 3. con. 3. Laym. lib. 1. summæ tract. 5. cap. 4. n. 5. in fine. optimè adverti, hoc ipsum dicendum esse de communicatione in divinis, ad quam fideles hæreticum, aut alium non specialiter excommunicatum, non inducunt, eò quod præceptum Ecclesiasticum, & censura nullam communicationem cum talibus excommunicatis interdicunt: nec fidelis causa existat, ut excommunicatus communicet cum fidi. His præmissis.

Ad primum Quæsitum respondeo, nostrum Sacellum nequaquam censuram incurrisse, quod funus defuncti hæretici comitatus fuerit, modo in specie facti proposito. Prob. Si incurrit aliquam censuram, foret excommunicatio, quæ in Clementina prima de Sepultura: lata fuit in sepelientes scienter excommunicatum: vel quam incurrint comunicantes cum hæreticis, & excommunicato: atqui ex nullo horum capite incurrit excommunicationem. Prob.

Prob. 1. membrum mino-  
ris, Iste Sacellanus non sepeli-  
vit hunc hæreticum: ergo. Pro-  
batur antec. juxta Suarez, Co-  
ninck, Bonacinam, Navarrum,  
Cajetanum, Gasparem Hurtado,  
nomine sepelientium, propriè  
loquendo, non comprehendun-  
tur comitantes corpus defuncti,  
nec Clerici canentes, nec fos-  
sam priùs aperientes; sed soli  
illi, qui corpus in sepulchrum  
immittunt, ac terrâ cooperiunt:  
atqui hoc non fecit Sacellanus  
noster: ergo propriè loquendo  
non sepelivit hunc hæreticum.

7 Si dicas juxta Suarez de cen-  
suris. disp. 12. sct. 4. Filliicum  
tract. 12. cap. 4. n. 111. Coninck  
disp. 14 dub. 8. n. 67. Ugolinum,  
& Reginaldum lib. 32. n. 19. præ-  
fatam Clementinam primam  
de sepulturis extendendam esse  
ad illos, quorum authoritate, ac  
mandato corpus sepelitur: raro  
enim, vel nunquam excommuni-  
catio haberet locum, si solos  
immittentes corpus in sepulchrū  
comprehenderet, eò quòd isti  
sint homines rustici, & juris ignari,  
& consequenter vel ex me-  
tu, vel ignorantia à censura ex-  
cusati: quotiescumque autem

constitutio, vel lex aliqua frustra-  
nea redditur, nisi extendatur  
ad casum sub proprietate verbo-  
rum non comprehensum, debet  
admitti extensio arg. glossæ fina-  
lii. c. 2. de usur. in 6. juxta Feli-  
num, Covarruviam alios relatos  
4. variarum. cap. 3. n. 9. Sanchez  
l. 3. de matrim. disp. 49. n. 4. in fine.  
ergo in præsenti hæc institutio,  
ac censura erit extendenda ad  
mandantes, arg. cap. significavis  
de Judæis. Sed contra est, eti-  
am hoc concesso absolvendus à  
censura noster Sacellanus erit:  
negatur enim suppositum, quòd  
ad ipsius mandatum fuerit se-  
pultus, & coemeterio fidelium  
illatus. Contra est 2. dò quòd  
Navarrus, Cajetus, Gaspar  
Hurtado, Avila, Bonacina de  
censuris disp. 2. q. 2. pu. 2. tuean-  
tur, ad mandantes non esse ex-  
tendendam hanc censuram,  
quòd pœnæ non sint ultra pro-  
prietatem verborum extenden-  
dæ, hæc autem de solis sepelien-  
tibus loquantur.

Prob. Idem antecedentis  
membrum, ulteriùs hac ratione:  
etiam ipsi sepelientes propriè lo-  
quendo non incurserunt hanc  
excommunicationem, conse-

M m m 2                    quen-



quenter neque illam incurrisset, licet acatholicum Sacellanus sepeliisset. Prob. antec. excommunicatione in citata Clementin. 1. de sepulchris, & cap. quicunque de hæreticis. lata duntaxat fuit in illos, qui notorium hæreticum, vel excommunicatum, si iste specialiter denunciatus, aut notorius percussor Clerici fuerit, sepeliunt: ergo cum iste defunctus acatholicus miles non fuerit specialiter denunciatus, eundem sepelientes non incurrerunt excommunicationem, licet ponatur impoenitens decessisse. Prob. antec. authoritate. Navarrus cap. 37. n. 137. Henriquez lib. 13. cap. 11. n. 3. Avila 2. p. de censuris c. 6. disp. 10. dub. 6. Layman. lib. 1. summae. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 8. Gaspar Hurtado disp. 5. difficul. 4. Suarez disp. 12. sect. 4. à n. 5.

Idem antecedens prob. ratione. Post Constantiense Concilium vi citat: extravagantis ad evitanda scandala sola communicatione cum hæreticis, ac excommunicatis specialiter denunciatis, est sub excommunicatione interdicta: ergo in Clementin. 1. de sepult. & cap. quicunque de hæ-

reticis lata in sepelientes hæreticos excommunicatio tanquam restricta à Concilio, comprehendit solos sepelientes hæreticum specialiter denunciatum.

Confirm. Ideo est sub excommunicatione prohibitum, ne hæreticus, vel alius denunciatus sepeliatur in loco sacro, quia non debemus comunicare mortuo, cui viventi non licuit communicare: ergo à contrario licet communicare mortuo per sepulturam, cui viventi tanquam tolerato, ac non specialiter excommunicato potuimus communicare.

Pergimus itaque ad secundum membrum ejusdem antecedentis afferens, nostrum Sacellanum non incurrisse excommunicationem, quia videtur communicasse cum hæreticis. Vel ideo Sacellanus incurrisset excommunicationem, quia omnis Catholicus, qui comitatus fuerat hoc funus acatholicum fuit excommunicatus, vel solum, quia ille, qui erat Parochus Catholicus, comitatus fuit? ex nullo horum fuit excommunicatus: non ex primo, quia negatur suppositum, quod communicatio cum

cum acatholico non specialiter denunciato sit sub excommunicatione prohibita; nam ex dictis constat, solos specialiter denunciatos esse vitandos juxta Concilium Constantiense: at qui hic defunctus non fuit specialiter denunciatus: ergo. Sed neque ex altero capite aliquid contra Sacellatum nostrum probatur; nulla enim singularis, & solos Clericos in hoc punto concernens excommunicatio, lata ullibi fuit: ergo &c. Quinimò, cùm Officiales bellici assuerint, alios suos castrenses Catholicos Parochos hac praxi usos fuisse, ejusmodi introducta consuetudo majorem licentiam hoc faciendi Sacellano nostro attribuit, prout idipsum practicari videmus in urbibus, ubi Catholici permixti acatholicis vivunt.

¶ Accedit, quòd hic Comitatus communicatio merè politica furerit, non autem Ecclesiastica, multò ergo remotior ab excommunicatione erit, cùm juxta Pyrrhing n. 80. de sepult. Schmalzgrueber de sepult. n. 53. à constitutione Clementina imunes sint, qui consulunt, vel non impe-

diunt, qui cantant, crucem, aut luminaria præferunt, qui sub humeris cadaver ad sepulchrum deferunt, vel sepulchrum effodiunt, modò postea corpus eidem non inferant, cùm propriè sepelire defunctum isti non soleant.

Secundò, ut sepelientes excommunicatum incurvant excommunicationem in Clement. 1. de sepulturis latam, & subjaceant censuræ à cap. quicunque de hæreticis in 6. statutæ, juxta Layman. de excommunic. cap. 2. n. 19. requiritur, ut istam sepulturam ex propriæ temeritatis audacia non sine contemptu clavum Ecclesiæ scienter facere præsumperint: atqui hæc non cadunt in illum, qui tantum comitatur funus: ergo &c.

Idem P. Layman, l. 1. tract. 5. p. 2. c. 4. in fine docet, minorem dubitationem esse, an hæreticorum funera cognati, & amici Catholici comitari possint absque excommunicatione, asseritque hanc minimè ab iisdem incurri, tum quòd ejusmodi comitantes ad sepulturam valde, ac materialiter duntaxat concurrent, hinc sub nomine sepelientium non comprehendantur:

M m m 3 tum,

tum, quòd talis Comitatus cognationis, & necessitudinis causâ præstitus ad politicam potius communicationem spectet: ergo cùm etiam Sacellanus iste castrensis habuerit aliquam relationem ad istum defunctum, quia curam totius legionis, & Catholicorum militum habebat, hoc totum de eodem tenendum erit.

### §. II.

#### Resolvitur secundum quæsitum.

*Utrum Sacellanus saltē non peccaverit graviter?*

**P**rorogredimur modò ad alterum dubium, utrum scilicet graviter peccaverit dictò modò funus acatholici comitans. Circa hoc videtur constare, eundem non posse gravis peccati reum fieri, arg. *ex cap. excommunicatos causa 11. q. 3.* ubi asseritur communicans cum excommunicato innodari simili excommunicatione, consequenter etiam graviter peccare, cùm sine gravi peccato non incurritur excommunicatio: non, in-

quam, ex hoc aliquid probari contra Sacellanum nostrum poterit; quia negamus suppositum, quòd incurrit excommunicationem. Adde, quòd hujus cap. dispositio explicari possit, ut loquatur de excommunicatione minore, ut talis communicans sit excommunicatus minore, si-  
cut alter est majore: Ratio hu-  
jus est, quòd volente Covarru-  
via cap. *alma.1 p. §. 3. n. 3.* non  
semper similitudo sit attendenda  
omnimoda, & æqualis, sed se-  
cundum proportionem.

A mortali itaque peccato ex-  
cusat nostrum Sacellanum Pa-  
lao *de censuris disp. 2. pu. 18.* dum  
asserit, extra casus à se ibidem  
adductos sub veniali tantum  
prohiberi fidelibus communicationem cum excommunicato,  
ac minorem duntaxat excom-  
municationem incurri. Quod  
probatur ex cap. *à nobis de exce-  
ptionibus.* & authoritate DD. qui  
ibidem referuntur.

Casus autem, in quibus solis  
excommunicatio major juxta  
Palaum & alios incurritur, &  
peccatum mortale committitur,  
adducuntur sequentes. Primo.  
Communicatio in Divinis, hoc  
est

est in Sacramentis, Officiis &c. Ecclesiæ solemnibus, & sepulcra priùs explicata.

Secundò. Prohibetur sub mortali & poena excommunicationis majoris in *c. si concubinæ de sententiis excom. & e. statuimus. eodem tit.* Communicatio cum excommunicato in crimen criminoso, seu in crimen, ob cuius causam aliquis fuit excommunicatus.

Tertiò. Idem mortale, ac excommunicationem incurrit, qui cum excommunicato participant post latam sententiam contra participantes, ut habetur in *cap. quod in dubiis de sentent. excomm.*

Quartò. Incurritur à Clerico excommunicatione major & mortale, si in Divinis cum excommunicato non utcunque communicat, sed admittendo excommunicatum, sponte; liberè, ac voluntariè, ac sciens esse à Papa nominatim excommunicatum, ac insuper denunciatum. *juxta Avilam, Sayrum, Henriquez, Hurtadum.*

Cum ergo nullo existis modis cum hoc defuncto communicaverit noster Sacellanus, juxta

Palaum, & hos Authores, non peccavit mortaliter.

Præter hæc ulteriùs considerandum, quod hæc communicatio fuerit solum in civilibus, & cum excommunicato quidem, tolerato tamen, & nominatim non denunciato. Sicut igitur communicantes in aliis civilibus negotiis in nostra Germania non peccant graviter, ita neque in comitatu funeris.

Ulteriùs nullus Officiales accusat mortalis, si funus alicujus defuncti Ducis acatholici comitantur. Passim talis communicatio contingit Augustæ, sicut igitur ibidem permixti Catholici acatholicis vivunt, & unum corpus constituunt, sic etiam milites sub eadem legione congregati unum corpus constituunt, & consequenter in civilibus absque mortali communicant. Neque dicas: aliud de sacerularibus, aliud de personis Ecclesiasticis, & Clericis tenendum. Contra enim est, quod nulla lex specialis inhibitiva respectu Clericorum in hoc puncto sit lata: Dein privilegium absolutè concedens communicationem est latè

latè explicandum utpote juri inseratum, & nemini nocens: ergo de qualibet civili communicatione, & respectu cuiuslibet etiam Clerici est intelligendum.

14 Covarruvias, Avila, Henriquez, Hurtado apud Palaum *de censuris disp. 2. p. 18. n. 12.* tenuuntur, ex vi solius communicationis non esse per se mortalem communicationem cum excommunicato etiam in rebus humanis Ecclesiasticis, ut in collatione Beneficii, istius receptione, usu, & exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ, eò quod hæc communicatio solum secundariò per excommunicationem prohibetur: ergo multò minùs erit mortale comitari funus defuncti in talibus circumstantiis.

Layman, etiam *l. 1. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 16.* cum Bonac. Hurtado, Sayro defendant, ut gravior peccetur communicando in mensa cum excommunicato denunciato, necessarium esse, ut hæc in mensa communicatio sit formalis, seu per modum unius, & ex destinato; nec sufficere, si casu in eadem domo, itinere, mensa in talem communicationem aliquis incidat: atqui no-

ster Sacellanus etiam ex mero quodam casu in hanc communicationem incidit: ergo &c.

In cap. *excommunicatos. 11. q. 15*  
3. etiam prohibetur sub gravi, ne aliquis excommunicato dicat vale, seu honorificam salutatem eidem impertiat, & tamen facientes contrarium non peccant graviter juxta D. Antonium, Joannem Majorem, Sayrum, Graphis apud Palaum, *disp. 2. p. 17. n. 4. de censuris:* quia ista salutatio est consuetudine introducta, non ut voluntaria, sed ut necessaria, ut excommunicatus non in honoretur, aut contemnatur: ergo, cum etiam consuetudine apud istam legiōrem fuerit introductum, ut Sacellanus comitaretur funus, dabitur excusatio.

Denique dat licentiam communicandi præsertim in civilibus utilitas: atqui in hoc actu locum habebat utilitas Sacellani, ne scilicet haereticorum Belliducum invidiam, & aversiōnem sibi conciliaret, si morem suorum Antecessorum in hoc non imitaretur: ergo &c.

### §. III.

## §. III.

## Resolvitur tertium

Quæsitus.

*Uterum cæmeterium hac ratione profanatum fuerit?*

<sup>17</sup> **D**ico 1. A sepultura Ecclesiastica præter paganos, atque Judeos etiam ipsos hæreticos exclusos esse. Probatur ex *c. fin. causa 24. q. 2.* Item ex *cap. excommunicamus 13. §. credentes de hæreticis.* Quod etiam observandum est, si post mortem hæresis illorum primùm fuerit manifestata. *arg. can. sanè. 3 causa 24. q. 2. citata.* Deinde, cùm in *cap. Episcop. 8. de privilegiis in s. & cap. Sacris. de sepulturis. & cap. consuistis. de consecrat. Ecclesiae, vel Altaris.* Excommunicati saltem vitandi spolientur sepultura Ecclesiastica, etiam vi hujus *cap. Episcop.* citato loco sacro inferendi non erunt hæretici. Ratio autem hoc statuendi fuerat, quòd indecens sit communicare defunctis, quibus vivis non communicamus: atqui excommunicatis vivis non communica-

camus: ergo &c. ita habetur in *cap. Sacris de sepultura: Sacris autem Canonibus institutum est, ut quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicemus.*

Dico 2. Cæterū, cùm quælibet <sup>18</sup> pænalis constitutio tanquā odiosa sit restringenda, insuper ratio, ob quam excommunicati vitandi spolientur sepulturā, nullum locum habeat in non vitandis excommunicatis, ac hæreticis, ideo Navarrus ad *Rubricam de sepulturis consil. 4.* Henricus *l. 13. c. 11. n. 3.* & Suarez *de censuris disp. 12. sed. 4. n. 5.* Wiestner *de sepult. n. 5.* cum majore parte aliorum Doctorum affirmant, excommunicatos non vitandos, si ante mortem pœnitentiæ signa ediderint in loco sacro sepeliri posse: nam eo ipso, quòd talibus vivis communicare possimus, etiam defunctis communicare non erit prohibitum.

Dico 3. Excommunicatus <sup>19</sup> toleratus, & impenitens per se non potest licet in loco sacro sepeliri: Ratio est, quòd valde sit indecens, ut præcisus ab Ecclesia, & suffragiorum Ecclesiæ incapax in loco sacro sepeliatur.

Dico 4. Si hæreticus noto-<sup>20</sup>  
Nan  
rius

rius non tamen denunciatus illicite sepeliatur in loco sacro, sepelientes non incurront excommunicationem in Clement.<sup>1.</sup> de sepult. aut in cap. quicunque de hæreticis in σ. latam. Ita Laym. l. 1. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 9. asserens, hanc esse communiorem, & defenditur à Navarro, Henriquez, Ægidio, Avila. Rationem dat, quod excommunicatione ex eo incurritur, quod aliquis cum vitando communicaverit, ergo cum tales non fuerint vitandi, ideo non violavit hoc præceptum.

Dico 4. Si alicui tanquam denunciato specialiter deneganda fuisset sepultura Ecclesiastica, concessa tamen fuerit, tunc exhumandus erit, si ossa illius ex cæterorum fidelium ossibus discerni valeant. Ita communis &c. arg. cap. Saeris. 12. de sepult.

<sup>21</sup> Dico 5. Si excommunicatus sit specialiter denunciatus, & vitandus, tunc locus sacer, in quo sepultus fuerat, reconciliandus erit: Ratio est, quod arg. cap. consuluit. 7. de consecrat. Eccl. vel Altaris. per talem sepulturam locus sacer profanatus fuit.

Dico 6. Si tamen ob hæresis, aut ob aliud crimen excommunicatus sit toleratus, & non denunciatus, ac vitandus, ut in Germania nostra sunt omnes Lutherani, tunc sepultus in loco sacro non erit ob hoc præcisè effodiendus, nec locus sacer reconciliandus. Ratio prioris est, quod vitandus sit extrahendus, quia erit indecens communicare cum defuncto, cui vivo non licuit communicare: ergo cum non vitando viventi communicare licuit, etiam licebit defuncto. Item ideo denunciatus, & vitandus est effodiendus, quia suo corpore locum sacrum violat, ac polluit: atqui hoc non facit toleratus: ergo &c. Alterum cum priore defendant Pyrrhing de sepult. n. 70. Schmalzgrueber de sepult. n. 51. ob rationem modò insinuatam, quia scilicet Ecclesia ex hoc non polluta, nec profanata fuit.

Licet autem non videatur effodiendus iste acatholicus, quia nec nominatim, nec specialiter denunciatus fuit, alia tamen adhuc superesse potest causa, ob quam effodi debeat, quia scilicet impenitens mor-

tuus

tus est, & tales non sunt tolerandi in cœmeteriis, eò quod suffragiorum omnium sint incapaces. Huic tamen responderi potest, probabilitas hunc hæreticum solùm materialem fuis-

se, edidisse præterea signa doloris de cæteris, quæ commississe se sciverat, peccatis, consequenter nequaquam impoenientibus finalibus annumerandum esse.



## Casus XLI.

### De Sepultura Ecclesiastica puto suffocati.

**R**Usticus quidam, postquam in hospitio multoties in crapula Sacraenta blasphemasset, sera nocte domum rediit, & altero die in puteo suffocatus invenitur, occasione hujus.

Quær. 1. Num omnis in mortali notorio decedens sepulturâ Ecclesiasticâ sit spoliandus?

Quær. 2. Num in his circumstantiis decedens rusticus exciderit jure ad sepulturam Ecclesiastiam?

#### §. I.

#### Synopsis.

#### Resolvitur primum quæsitus.

Num omnis in mortali notorio decedens sepulturâ Ecclesiasticâ sit privandus?

1. Responsio est negativa.
2. Quia talis suum ad sacram sepulturam jus ex nulla lege amisit.
3. Non omnes Canones in Decreto Gratiani detenti Ecclesiasticæ legis vim obtinent.
4. Nulla poena, nisi expressa Jure statuatur, irroganda est, & concessum est, omne quod non est expressè prohibitum.
5. Carentia sepulturæ deceden-

N n n 2